



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 5. Epistola Episcoporum Germaniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

ut iis Præsules ea libertate fruantur, Sæcul. XII.
 qua eas primo receperunt. Nos vero A.C. 1186.
 baud arbitramur, facile mutari posse,
 quod antiqua consuetudine stabilitum est.
 Itaque, quid Episcopi de his sentiant,
 quero. Tunc vero Conradus Archie-
 piscopus Moguntinus surgens ait: Gra-
 vissimi momenti est hæc causa, nec no-
 strum est litem dirimere. Sentio, scri-
 bendum esse Pontifici, eumque a nobis ad-
 monendum, ut pacem reducat, & tibi,
 quod Iustitia petit, tribuat.

§. V.

Epistola Episcoporum Germaniæ.

Placuit omnibus consilium. Scripta
 igitur Epistola nomine omnium Ger-
 maniæ Episcoporum, eorumque Bulla,
 id est, sigillum appositum. Dicebant
 vero: *Vehementer dolemus, discórdiam* ap. Rad. de
inter Ecclesiam & Imperium oriri, Dis. p. 632.
 unde duo illi gladii colliduntur, qui mu-
 tuum sibi conferre auxilium deberent.
 Imperator in comitiis solemnibus ba-
 bitis conquestus est, quod dum ipse tibi
 amicitiae sinceræ officia exhibet, dumque
 Regem Romanorum unicum filium suum
 pro defensione Ecclesiæ in mille pericula
 immittit, tu de industria infensum ani-
 mum ostenderis, cum Cremonenses, quos
 ipse publicos Imperii hostes declaravit,
 recepisti, cumque Italiæ urbes & inpru-

Sæcul. XII. A C. 1186. *mis Episcopos, ne ei succurrerent, prohibuisti. Adjecit Imperator graves querelas in causa Ecclesiæ Trevirensis, nulla enim extat memoria, quod aliquis Antecessorum tuorum Imperatoris nostri Antecessoribus tantam injuriam intulerit, & Episcopum Regni Teutonici consecraverit, priusquam per sceptrum Cæsareum Regalia accepisset. Quin viri fide digni affirmant, te serio promisisse, quod Dominum Volmarum non esses consecraturus. Præter hæc memoravit, quod jam diu Imperii jura læseris in Ecclesia Mediolanensi, quæ præcipuis in Italia Sedibus adnumeratur. Tandem addidit, omnes Imperii Ecclesias exactioibus illorum obvui, qui a te missi veniunt, cum ingentes sumtus in parata pecunia, in convivis, in hominum hospitio, equorumque pabulo, facere coguntur, atque ita premi Ecclesias & Monasteria egena, quæ non habent, quibus Clericos vel monachos sustentent.*

In fine Epistolæ Episcopi Papam rogant, ut querelarum causam tollat, & in Legatis ipsorum ad se missis fiduciam ponat.

Arnold.

Papa, accepta hac Epistola, miratus est mutatos Episcoporum animos, videbatur enim sibi eorum causam defendendam suscepisse, quam ipsi desererent. Quare neutiquam a proposito Imperatorum,

rem, post citationes Canonicas, excom-
 municandi dimotus est. Sed interces-
 serunt cives Veronenses, apud quos Pa-
 pa diversabatur; quippe dicebant: *San-
 cte Pater! servi & amici Imperatoris
 sumus, ideoque rogamus, ne eum in ur-
 be nostra & nobis presentibus Ecclesia-
 stico fulmine percutias.* Dedit preci-
 bus eorum Papa, ut ex urbe excederet.
 Verum in alio loco Imperatorem ex-
 communicaturus morte prohibitus non
 potuit.

§. VI.

Ecclesia Livoniæ.

Inter hæc novella Ecclesia plantabatur
 in Livonia, studio & labore Meinardi,
 Canonici Sigebergensis, qui, populi hu-
 jus Infidelis convertendi desiderio ac-
 census, pluribus annis illuc profectus
 est cum mercatoribus, ipse nobiliter com-
 mercium sectaturus. Lætus deinde,
 quod Deus ejus operæ benediceret, ac
 Idololatræ benevolas aures præberent,
 Hartvicum Archiepiscopum Bremen-
 sem & Capitulum Cathedrale adiit, re-
 rumque faciem exposuit, ne prædicandi
 munus sine Episcopali auctoritate &
 consilio usurparet. Bremenses eum com-
 muni consensu ad excolendam nascentem
 vineam miserunt, unde uberes fru-
 ctus sperabant, atque ut majore potestate

*Arnold. Lu-
 bec. Chro. 8.
 c. 8.*

c. 9.

N 4

vige-